

Joachim Heinrich Sibrand

**Programma, Quo Rector Vniuersitatis Rostochiensis, Joachim. Henr. Sibrand/
V.I.D. ... Vt In Festo Natiuitatis ... Seruatoris Nostri Vnici, Dulcissimi, Domini Jesu
Christi ... Rogat, Admonet, Adhortatur**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003466745>

Druck Freier  Zugang





F. 512.

1711. Weihn.

~~M-1256~~^{127.}

M. 1271

PROGRAMMA,

quo

RECTOR

VNIUERSITATIS ROSTOCHIENSIS;

JOACHIM. HENR. Sibrand/

V. J. D. ET MORAL. PROF. PUBL. ORDINAR. FACUL-
TAT. SUÆ h. t. DECANUS,

VT

IN FESTO NATIUITATIS

τὸ γενέθλιον,

SERUATORIS NOSTRI VNICI, DULCISS




DOMINI
JESU CHRISTI

VNIONEM PROLIUM, PER EANDEM
FACTAM.

OMNES, ET SINGULI ACADEMIÆ CIUES;
STUDIOSE, SEDULO, AC CUM FRUCTU MEDITENTUR,
EOSDEM

SERIO, ET PERAMANTER ROGAT,
ADMONET, ADHORTATUR.



ROSTOCHII,

Typis Joh. Wepplingi, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr

M. 1256 127

HAud sine ratione videntur constituisse Maiores, vt eo tempore, quo singularia quædam, & eximia DEI beneficia generi humano exhibita, in Ecclesia Christiana, a Præconibus Verbi Diuini publice e Suggestu annunciantur, exponuntur, prædicantur, & nominantur, idem quoque a quolibet Academiae Rectore, cuiuscunque fuerit Facultatis, siue Theologicæ, siue Juridicæ, siue Medicæ, siue Philosophicæ, hac ratione fiat, vt per Scriptum aliquod, & Programma publicum, Ciuibus Academicis quædam in Festis illis maioribus, peractis publicis Sacris, meditanda exhibeat: Sed hoc dubio procul indit sapiens antiquitas, vt & suo exemplo Ciuibus præiret, ea quæ ad ædificationem faciunt, præ-ac post-meditando, & illi præeuntem sequerentur, tempus quod ad meditationes sacras destinatum est, omne & totum iisdem impendendo. Si quando enim non aliquot horæ, sed tota dies Dominica sanctificanda, imo periculosum est, ac pessimi Sacrilegii instar habendum, aliquid detrahere velle, & suffurari, de die DEO soli consecrata, (suffuramur autem omne tempus, quodcunque nec ad gloriam summi Numinis promouendam, nec ad animæ nostræ salutem, aut necessariam corporis curam, nec in amore proximo exhibendo, consumimus,) sane idem in festis illis maioribus studiosissime, ac maximopere obseruandum, agnoscendumque, nemo vnquam, qui Christiani nomen affectat, inficias ibit. An autem theoria cum praxi conspiret, an Programmata publica, eum quem innui producant effectum, cum a paucis saltem legantur, & illa præprimis quæ in iisdem proponuntur, ad praxin Christianismi spectantia, a paucioribus adhuc, si non paucissimis expendantur, & ruminentur, cui libet iudicandum relinquo, ac conscientiam suam testem omni exceptione maiorem, Iudicemque; *απεροσωοληω-
το* constituo. Officio interim meo, quo impræsentiarum fungor, deesse nec volui, nec potui, sed cum iterum exoptatissimus, desideratissimusque ille illuxerit dies, quo salutifera

ræ

ræ natiuitatis dulcissimi Seruatoris nostri JESU CHRISTI
memoriam recolimus, qui infans tenellus nasci voluit, vt
in nos iura liberorum ipsius DEI transferret, cui homini
nato omnem salutem nostram debemus, ex cuius natiuita-
te merito originem omnium beneficiorum ab Altissimo in
nos benignissime collatorum, petimus: Si enim Christus
homo natus non fuisset, nec pati potuisset, nec fides esset
saluifica, nec regeneratio vlla; Sed adhuc in peccatis consti-
tuti, & sub maledictione Legis essemus. At vbi venit pleni-
tudo temporis, misit DEUS filium suum, natum ex mulie-
re, factum Legi obnoxium, vt eos qui sub Lege erant, redi-
meret, vt *adoptione* filiorum eius ius, *υιοθεσιαν*, reciperemus.
Galat. IV. 4 5. Hinc manuductionem ipsius Spiritus Sancti
per adducta iam verba Paulina sequens, quædam Vobis, Ci-
ues optimi, lectissimique, meditanda sisto, de *Vnionem prolium*
(quam Germani vocant *Wirkindschaft* / ac nonnulli
Ddrium loco adoptionis frequentari, alii adoptioni similem
esse, alii præ adoptione modernis moribus magis obtinere,
alii speciem nouam adoptionis asserunt) *per natiuitatem*
υιοθεσιαν facta, quæ frequentior est, plenior, efficacior,
præstantior, quam illa, quæ in terris inter homines fieri
solet, ac potest. Hanc ipsam meditemur sedulo in diebus his-
ce, dirigamus frequentissime oculos mentis, fideique no-
stræ ad stupendum illum & ineffabilem amorem, quo Deus
dilexit mundum immundum, nullo amore dignum, & cer-
te omnia illa, quæ vnionem hanc dissoluere, ac tollere pos-
sunt, assistente gratia Diuina, sine qua in Spiritualibus nil
quicquam valemus, omni studio euitabimus, fugiemusque.
Est autem nostra *vnio prolium*, actus maxime solemni: quo
liberi diuersa generationis, ac disparis plane conditionis, *homi-
nes* scilicet per Verbum veritatis *in tempore* geniti, cum *uni-
genito DEI filio*, ex substantia Patris *ab aeterno* genito, *iuris fi-
liationis*, & *vniouersorum honorum*, præprimis acquisite, *participes redduntur*. Singularis omnino hæc est, & mi-
randa vnio prolium, de qua nunquam cogitare potuisset
genu

genus humanum, nisi Diuinæ Clementiæ, & immensæ Sapientiæ præter omne meritum nostrum placuisset, eandem instituere. Requiritur potissimum ad vniionem prolium JCTi, vt liberi vniendi, diuersi quamuis matrimonii, haud tamen tam imparis sint conditionis, vt alterutra pars prægrauetur, ac contra Jus & Justitiam lædatur. Vnde diligentem & accuratam volunt institui debere cognitionem & excussionem, quæ sint facultates eorum, quorum nomine parificatio prolium petitur, & ex comparatione illarum æstimandum, num ea vtrisque salubris sit futura, *arg. L. 17. §. 2. ff. de adopt.* Ast quæ, qualis, & quanta in hac nostra vniione prolium deprehenditur disparitas, quam ineffabilis liberorum vniendorum adest inæqualitas? Ex vna parte semet sistit æternus DEI filius, obsequentissimus, dilectissimus, sanctissimus, imago substantiæ eius, & splendor gloriæ: ab altera parte conspiciuntur liberi immorigeri, iræ, & æternæ damnationis, impurissimi, maxime immundi, graues iniquitate, scelerati, deficientes a summo Numine, rebelles, in quibus a planta pedis, vsque ad verticem nulla omnino sanitas, qui pessima in peccata prolapsi, peccatorum pleni, imo loco imaginis diuinæ, qua ab initio præditi, sua culpa imaginem Satanæ gerentes, miserrimi, pauperrimi. Examen aliquod instituiamus rigorosum, Ciues lectissimi, cuiusque etiam, ac qualicumque studiorum generi addicti, non (tanquam canes e Nilo bibentes, & fugientes,) de eo tantum solliciti, an horum omnium, aliorumque quæ huc spectant, e Verbo diuino reuelato habeamus notitiam, atque scientiam, (hæc enim licet omnino præsupponenda, non tamen ad animæ salutem sola, atque nuda sufficit, nec Theologo, nec JCTo, nec Medico, nec Philosopho Christiano,) sed an iuxta 2. Cor. XIII. 5. tentantes nosmetipsos, probantes nos, tales nos esse, per verbum Legis, & per hoc operantem Spiritum Sanctum, in conscientia, coram omniscio, Cordium scrutatore, firmus


mus conuicti : & tunc quo magis nostram sentimus miseriam summam ex vna parte, ex altera vero immensum spectamus Gratiaë diuinæ Oceanum, ac abyssum in verbo Euangelii, extra nosmet ipsos quasi positi, ineffabili cum admiratione mentis nostræ verba Johannis nostra facientes, exclamabimus: Videte, qualem charitatem exhibuerit nobis Pater, vt filii DEI nominemur, & simus, 1. *Joh. III. 1.* Quisquis autem nostrum semet tanquam reuera miserimum, pauperrimum, ac peccatorem maximum coram Tribunali summo haud stiterit, is nec verba Johannæa quoad applicationem, vim, & efficaciam intelliget, nec mirandam hanc vnionem prolium grata mente agnoscet, nec infinitam DEI misericordiam, conspirante & ore, & corde extollet, id quod tamen immensa DEI misericordia meretur, qua liberos adeo dispares vniuit, pleniore longe & præstantiore vnione prolium illa, quæ in terris inter homines fieri solet, ac potest. Quisnam enim Iudex saluo Jure, & Justitia, inter liberos diuersi matrimonii adeo diuersissimos, vnquam vnionem prolium decerneret? Quin potius ne hoc fiat, non vtile modo, sed & pene necessarium nonnulli Ddram asserunt, repertorium, seu Inuentarium bonorum confici, & exhiberi, quo exinde constet, an probanda, an improbanda petentibus vnio prolium. Inspiciamus iam Inuentarium & designationem bonorum illorum liberorum, qui quoad futuram hereditatem a DEO Patre vniendi. Inspiciamus haud obiter, & transcursum, tanquam rem iam fatis notam, sed debita cum attentione, & applicatione, prout in mundanis solemus esse prouidi, ac cauti, ne decipiamur. Concernunt hæc haud bona temporalia, sed animæ salutem, & damnum secum ducunt irreparabile, si negligantur, aut superfuntorie tractentur, quod a Christianis putatiuis fieri videmus. Deprehendimus specificationem hanc bonorum nostrorum in totius diuinæ scientiæ elementis, seu *Institutionibus* sacris, in diuinæ voluntatis *Pandectis*, & sacro Codice sæpissime repetenda prælectionis. Nimirum

mirum bona quæ possidet vnigenitus DEI filius, Seruator
noster dulcissimus, meritissimus, sunt Sapientia, Iustitia,
Sanctitas, Vita, & innumera alia. Quæ nos possidemus, insipi-
entia est, in illis quæ ad animæ salutē faciunt, stultitia, pecca-
ta innumera. Et quod magis dolendū, nos omnes nobismet
ipsis relicti, (præter hoc enim quod Gratia diuina per ver-
bū, & Spiritum Sanctum operatur. nemo verorū Christiano-
rum de prælatione aliqua, vel prærogatiua in Spiritualibus
gloriari poterit, nec vnquam gloriabitur,) nos fallimus, cre-
dentes nos esse diuites in summa paupertate nostra, putan-
tes nos sapere in summa stultitia, & de facultatibus nostris
plus, quam in illis est, sperantes. Quantus enim proh! do-
lor, eorum numerus, qui ad preces apti quocunq; tempo-
re: qui semet pro lubitu pœnitentiam agere posse putant,
proindeque eandem ad vltimum vsque mortis articulum,
interim secure dormientes, differunt: qui fidem saluificam
(de cuius penuria ac infirmitate frequenter queruntur, do-
lent, & anguntur veri Christiani,) pro re leuissima, ac fa-
cillima habent, dicentes cum Laodicense illo *Apoc. III, 17.*
diues sum, & locupletatus, (quis autem ditior illo, qui &
pœnitere potest, & preces fundere, & credere quando libet,
quod ipsum se posse, sibi persuadent ficti, fucatiq; Chri-
stiani,) & nullius egeo: cum tamen reuera sint miseri & mi-
serabiles, & pauperes, & cœci & nudi. Hisce autem non
obstantibus, vnionem prolium vltro offert misericors Jeho-
uah. hoc effectu, vt liberi vniendi Juris filiationis, & vni-
uersorum bonorum participes reddantur, pariterque cen-
seantur, ac si eadem essent ipsorum merita, quæ Filii sui vni-
geniti. Adeoq; in his plenior est, efficacior, ac præstantior
hæc vnio prolium, præ illa, quæ in terris inter homines fi-
eri solet. Præterea requirunt Jcti communiter, ad vnio-
nem prolium humanam, vt præcedat imploratio Magistra-
tus, cum huius non sit, officium suum impertiri, nisi roge-
tur, maxime in iis, quæ voluntariæ sunt Jurisdictionis. Ast
in

in hac nostra vnione prolium, nullus adest petens: nemo est mortalium, qui extra statum gratiæ eandem desideret, vel desiderarit, nemo qui efflagitarit; sed summum Numen sponte hanc offert ex mera gratia, & incomprehensibili, ac stupenda misericordia. Anne ergo eo plenior est, & præstantior, quo maior & superabundantior gratia summi vniens? Per vnionem prolium humanam non intendunt Parentes introducere Jus sanguinis, sed fictitiæ filiationis, & parentelæ, in eo, quod de facto est possibile. Vnde adhuc controuertunt Dd. anne patriam potestatem consequatur vniens? In nostra autem hac vnione deprehenduntur Jura filiationis & parentelæ haud ficta, sed verissima, certissima per fidem saluificam, totum Christum apprehendentem, eumque sibi applicantem, quando ipse Spiritus Sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filii Dei, & clamat in cordibus fidelium, Abba Pater, *Galat IV, 6.* imo plenissimam consequitur summus Jehouah in liberos vnitos patriam potestatem, cum omnibus ipsius effectibus, in maiore longe gradu, quam qui ab hominibus excogitari possunt. Jura vero successione in omnia bona quod concernit, disertis verbis de isdem testatur Spiritus Sanctus, *Roman. IX, 17.* Si filii sumus, inquit, & heredes sumus, (hereditatis autem titulus est vniuersalis,) heredes quidem DEI, coheredes vero Christi: & *Galat. IV, 7.* quod si filius, & heres est Dei, per Christum: & *Roman. IX, 32.* dum pro nobis omnibus tradidit filium suum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit. Fratres quoque haud facere vnionem prolium, notant Ddres: Longe pariter plenior hæc nostra, dum non pudet vnigenitum Dei filium, nosmet per veram fidem ipsi vnitos, fratres suos appellare. Iudicet iam quilibet Vestrum Ciues optimi, lectissimiq;, quisquis de Spiritualibus spiritualiter iudicare poterit, quanta hæc sit præstantia, quanta voluptas, quantus thesaurus, quantus honor (quæ omnibus mundi voluptatibus, diuitiis, & honoribus qualescunque fuerint, longe anteponet is, cuius oculi haud per amorem mundi, ac blanditias Satanæ obcoecati) de quo, postquam Saluator noster homo natus est, gloriari possumus, dummodo per veram
fidem

fidem nosmet cum ipso vniri, nec vnquam per Satanam, per mundum, & per carnem nostram corruptam ab ipso auelli patiamur. Controuertunt quidem Jcti, an ingens liberorum vnitorum *ingratitude*, præfractaque *contumacia*, ratione cuius exheredari possunt, sit modus vnionis prolium tollendæ? quam litem nostram hac vice non faciemus. Hoc autem extra omnem controuersiam positum est, vnionem nostram diuinam, de qua hætenus actum, per *ingritudinem* illam, qua *mundana diuinis* præferuntur, qua potius *illa*, quam *hec* quærentur, qua maior ex *illis*, quam ex *his* voluptas percipitur, qua voluntas diuina voluntati propriæ postponitur: per præfractam *contumaciam*, qua iussui diuino in omnibus & singulis, nullo excepto, morem gerere detrectant plurimi, qua ad finem vsque vitæ, gratiæ diuinæ resistunt peccatores, tolli, & vinculum hoc in æternum dissolui. Hoc ne vlli Vestrum, Ciues charissimi, quod ex animo opto, eueniat, Verbum Diuinum in diebus hisce festis, ac per totum vitæ cursum, summa cum attentione, iunctis precibus, legite frequenter, publice prædicatum omni cum reuerentia audite, lectumque ac auditum perpetuo ruminare, ac instar regulæ, normæque vnice, & infallibilis in omnibus cogitationibus Vestris, dictis, factisque assumite, & tunc quam facillime Legibus humanis obtemperabitis, nec quicquam contra easdem ex proposito admittetis: præterea omnes thesauros salutis, & inter hos vnionem prolium per Christum *Θεογονου* factam, quotidie in memoriam reuocate, potissimum autem veram ac saluificam fidem, sine qua nemo vnquam DEO placere potest, ab illo, a quo omnia bona, & perfecta dona proficiuntur, supplices exorate, quo omnes & singuli in æternum cum Salvatore dulcissimo maneatis vniti. Exaudiat Jehouah votum hoc, per Dominum nostrum Jesum Christum.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus, Fer. I.
 Natiuitatis Christi,
 ANNO c1b3ccXI



in hac nostra vnione prolium, nullus adest pet
mortalium, qui extra statum gratiæ eandem des
fiderarit, nemo qui efflagitarit; sed summum
hanc offert ex mera gratia, & incomprehensibil
misericordia. Anne ergo eo plenior est, & pra
maior & superabundantior gratia summi vnient
nem prolium humanam non intendunt Parente
Jus sanguinis, sed fictitiæ filiationis, & parentela
de facto est possibile. Vnde adhuc controuersi
patriam potestatem consequatur vnien? In nos
vnione deprehenduntur Jura filiationis & parent
sed verissima, certissima per fidem saluificam, to
apprehendentem, eumque sibi applicantem, quan
tus Sanctus testimonium reddit Spiritui nostro, qu
Dei, & clamat in cordibus fidelium, Abba Pater, C
plenissimam consequitur summus Jehouah in
patriam potestatem, cum omnibus ipsius effectib
longe gradu, quam qui ab hominibus excogitari
vero successione in omnia bona quod concernit,
de isdem testatur Spiritus Sanctus, *Roman. IIX, 17.*
inquiens, & heredes sumus, (hereditatis autem t
uersalis,) heredes quidem DEI, coheredes vero C
lat. IV, 7. quod si filius, & heres est Dei, per Chri
IIX, 32. dum pro nobis omnibus tradidit filium su
non etiam cum illo omnia nobis donabit. Fratres
facere vnionem prolium, notant Ddres: Longe pa
hæc nostra, dum non pudet vnigenitum Dei filium
verâ fidem ipsi vnitos, fratres suos appellare. Judic
Vestru Ciuēs optimi, lectissimiq; , quisquis de Spir
ritualiter iudicare poterit, quantahæc sit præstant
luptas, quantus thesaurus, quantus honor (quæ or
di voluptatibus, diuitiis, & honoribus qualescun
longe anteponet is, cuius oculi haud per amorem
blanditias Satanæ obcoecati) de quo, postquam
ster homo natus est, gloriari possumus, dum mod

